

Scandinautica /

Ek, Johan Gustaf,

81 Cxa3 Br. 1851 Ek, J.G.



National Library
of Sweden

1851


Ex. A

Vitt. sv.
S. h. h.
vitt.
(M.)
o.

SCANDINAUTICA

Cecinit

J. G. EK.



LUNDÆ,
TYPIS BERLINGIANIS,
MDCCLLI.



B på Vitt.
sv. på fr. öjer.

SCANDINAVICA

Stockholm
J. G. KR.



SCANDINAVICA
J. G. KR.



Cum Danis Suiones Codana per æquora currant:

Sic poteris meritum nomen habere, sinus.

Nil fuit ante tibi causæ Codanæ vocari,

Quum procul a Danis nos tua sepsit aqua.

Nunc tandem jungis, nec amantia pectora fratrum,

Juncta semel, parvi distinet unda freti.

Sed turba hæc quid agit? sociata quid agmina quarunt?

Num novus est hostis? num nova bella parant?

Ingens hæc navis late fumante camino

Quo properans linguas audiet una duas?

Estne Helene nova, quam rapiant raptamve reducant

Tot juvenes, lecti tanta caterva viri?

An, velut auratum stimulavit Iasona vellus,

Sic juvenes nostros aurea præda vocat?

At quid bella loquor! nunc est pacatius ævum:

Mox, nova qui cieat proelia, nullus erit.

Hæc ætas didicit, quod non didicere priores,

Pace frui, rixis debilitata suis.

Bellica laus olim merito fulgentior omni:

Gloria summa fuit sanguinolenta ducum.

Mars et amor mutare vices coepere: videmus

Jam, quantum fuerit sitque in amore boni.

Nec rapit hos auri species et inania famæ,

Pro quibus est Argo trans mare vecta vetus.

Aurum qui cupiunt, procul hos California tellus

Allicit: invitat Nergos alta parum.

Nil habet hæc regio, quo delectentur avari:

Non erit hic dives, qui modo vixit inops.

Sin quis erit, cui celsa placent spectacula ruris:

Coeliferi montes perpetuæque nives;

Et mare in anfractus sinuosum mille, nemusque
Et sata læta, boum pascua, mille lacus;
(Cuncta quis enumeret?) terra modo vivere in illa,
Si qua fata sinent, is volet atque mori.
Non tamen (ut placeant) aut hæc in rura coloni
Venimus aut nobis hic licet esse diu.
Et velut Europen revocavit Agenore natus
Undique germanam, patre iubente, suam:
Sic Danus Suecusque simul te, Nerige pulchra,
Quærimus, amplexus des ut utrique soror.
Non nisi perraro coram data copia fandi
Tuque aberas longo dissociata mari.
Intervalla maris tibi pridem seria nostra,
Hæc etiam nostros eripuerunt jocos.
Quod mare peccavit, mare nunc luet: obstitit unda:
Nunc ad te geminos perferet unda duos.
Fallor? an agnosces vultuque oculisque propinquos
Et sonus hic vocis non peregrinus erit?
Ut gravis alterutri nostrum tua dextera quondam
Ut fuit alterutri mens inimica tua!
Jam dabimus dextras feriemus et æra plausu,
Qualis in adventu principis esse solet.
Nec tantos plausus audivit in Elide terra
Victor Olympiaca fronde decorus eques.
Nec magis insignis nec (opinor) pompa triumphandi
Lautior aut Romæ lætior ulla fuit.
Pulchrior hic claris multorum strage triumphis
Nam soror est victrix, victima nulla cadit.
Te sequimur victi; nam florea vincula nectunt
Te sequimur victi; nam modo vicit amor.
Et gradimur duce te per ovantia millia læti
Estque triumphalis, qua datur ire, via.
Audiet hoc populus, secum per sæcula discors
Qui fuit, atque unum nil nisi nomen habet.
Quem toties frustra corpus coalescere in unum
Conantem, in nostro foedere livor edit.
Audiet hoc orbis: sensus rediere vetusti:
Nomine sub triplici gens tamen una fuit.
Hæc absens cecini. Plectro meliorem poëta
Est comes. Is melius, si volet, ipse canet.